



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Benedictio olei simplicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

Oremus.

**B**enedic ✠ Domine hos novos fructus  
N. & præsta, ut, qui ex eis in tuo sancto  
nomine vescantur, corporis & animæ salute  
potiantur. Per Christum Dominum nostrum.  
*Resp.* Amen. *Et aspergat aquâ benedictâ.*

*Benedictio ad quodcunque comestibile.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Do-  
mini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.*  
Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu  
tuo.

Oremus.

**B**enedic ✠ Domine creaturam istam N.  
ut sit remedium salutare generi huma-  
no: & præsta per invocationem sancti nomi-  
nis tui, ut quicumque ex ea sumpserint, cor-  
poris sanitatem & animæ tutelam perci-  
pian. Per Christum Dominum nostrum.  
*Resp.* Amen. *Aspergat id aquâ benedictâ.*

*Benedictio Olei simplicis.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Do-  
mini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

*Exorcismus.*

**E**Xorcizo te, creatura olei, per Deum Pa-  
trem ✠ omnipotentē, qui fecit cælum &  
terram,



terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incurfus, omne phantasma fatanæ, eradicare & effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis & corporis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & Iesu ✠ Christi Filii ejus, Domini nostri, & Spiritus sancti ✠ paracliti, & in charitate ejusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen. *Vers.* Domine, exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

## Oremus.

**D**omine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur: dignare respicere, & benedicere ✠, & sanctificare ✠, hanc creaturam olei, quam ex olivarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus, sanitate percepta, tibi Deo vivo & vero gratias agerent: præsta quæsumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus ✠, usi fuerint, ab omni languore, omnique

infirm-



infirmirate, atque cunctis insidiis inimici, liberentur, & cunctæ aduersitates separentur à plasmate tuo, quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti: ut numquam lædatur à morfu Serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Aspergat Oleum aquâ benedictâ.*

Benedictiones, Cærimonie & Ritus,  
certis & statutis Anni temporibus,  
ex antiqua consuetudine,  
observandi.

*Thurificatio Domorum in Vigilia Natiuitatis,  
Profesto Circumcisionis, & Vigilia  
Epiphaniæ Domini.*

**P**ost Vesperas, Sacerdos, habens secum ministros, portantes naviculam cum thure & vas cum aquâ benedictâ, sumptis superpelliceo & stolâ albi coloris, ponit incensum in thuribulum, benedicens illud, more juxta Missale consueto: & circumeundo lente ac graviter potiora & magis præcipua domus loca & cubicula, thurificat ea, & aquâ benedictâ aspergit, dicens distincte, quæ infra ponuntur. Quod si duo aderunt Sacerdotes, unus incensabit, alter asperget, sequentia alternis versibus recitando.

*In Vigilia Natiuitatis Domini.*

*Antiphona.* Hodie scietis, quia veniet Dominus; & mane videbitis gloriam ejus.

*Psalm.*